

Um uns dieser Noth gegenüber stark zu machen, heißt es nicht herabsteigen zur vagen Humanität, zum weltlichen Treiben und zu den natürlichen Tugenden, d. h. zu einer bloß irdischen Rechtschaffenheit, sondern im Gegentheil nach der höchsten Vollkommenheit streben, jedoch im genauesten Anschluß an die bewährte kirchliche Lehre, an die kirchlichen Mittel, an die kirchliche Praxis und Leitung. —

Sa, das wäre wohl die beste Lösung für alle Fragen, die hier in Betracht kommen.

Die Gelehrten streiten, die Praktiker zerren, beide verirren sich, verwirren die Geister und die Herzen und bringen die Kirche durch ihre einseitige Kritik, durch ihre maßlosen Vorschläge, durch ihr ungeduldiges Poltern in größere Noth als zuvor. Jeder reißt ein Stücklein von Wahrheit an sich und übertreibt es so, daß es mehr Schaden anrichtet als die bare Unwahrheit. Zuletzt weiß keiner mehr, was er eigentlich will, verbittert sich gegen alle, die nicht mit ihm gehen, verschließt sich gegen die Wahrheit, macht sich unfähig zur Umkehr und mehrt die allgemeine Erregtheit und Verworrenheit.

Wie können wir in solcher Lage finden, wo Wahrheit, wo Sicherheit und Heil ist? Auf eine sehr einfache Weise.

Fragen wir, auf welcher Seite die Heiligen stehen, wie die Heiligen gedacht, gelehrt und gehandelt haben, dann haben wir Klarheit, Wahrheit und Entschiedenheit des Denkens.

Und suchen wir aus allen Kräften das Leben der Heiligen nachzuahmen, dann haben wir Festigkeit, Segen und unendliche Fruchtbarkeit für unser Handeln.

Damit ist aber allen Bedrängnissen unseres Herzens, allen Bedürfnissen der Zeit, allen Aufgaben der Kirche genüge gethan.

15. Juni 1898.

## Quid doceat epistola ad Hebraeos de sacerdotio et sacrificio Christi, imprimis de sacrificio missae.

Prinz Max, Herzog zu Sachsen, utriusque iuris Doctor, hat bei seiner öffentlichen Disputation zur Erlangung des theologischen Doctorgrades zu Würzburg am 20. December 1898 in der großen Aula des neuen Universitätsgebäudes die folgende Quaestio promovendi vor einer zahlreich versammelten Corona frei und lebhaft vorgetragen. Auf Wunsch meiner Zuhörer habe ich mir die-

selbe erbeten und kommt sie hiemit zum Abdruck, in der Hoffnung, daß sie auch weiteren Kreisen erwünscht und von einigem Nutzen sein werde.

Dr. Heinrich Rhin,

Professor der Theologie an der Universität Würzburg,  
päpstlicher Hausprälat.

Epistola ad Hebraeos in hunc finem conscripta est, ut per eam Christianis e Judaismo ad Christum conversis in Palaestina habitantibus demonstraretur superioritas Novi Testamenti super Vetus Testamentum et ut per hoc ipsi deterrerentur, quominus a Christo deficerent et in Judaismum reciderent. Ad hoc plenius demonstrandum probatur primum superioritas Christi mediatoris Novi Testamenti super Angelos, qui fuerunt mediatores Veteris Testamenti, secundo superioritas Christi legislatoris Novi Testamenti super Moysen legislatorem Veteris Testamenti: „Tanto ampliorem prae illo adeptus est honorem, quanto maiorem habet domus, qui fabricavit illam“ (3, 3), tertio superioritas Christi sacerdotis Novi Testamenti super sacerdotes leviticos Veteris Testamenti, filios Aaron.

Ut autem postea statuatur superioritas sacerdotii Christi, primo probatur Christum vere esse sacerdotem. Ponuntur ergo in capite quinto nostrae epistolae quaedam notae, quae inveniuntur in omnibus sacerdotibus, quibusque probari potest, utrum aliquis sit sacerdos necne. Prima autem nota est, quod sacerdos debeat esse homo: „Omnis namque pontifex ex hominibus assumptus,“ secunda nota, quod debeat positus esse ad serviendum Deo: „Pro hominibus constituitur in iis quae sunt ad Deum,“ tertia, quod debeat sacrificare: „Ut offerat dona et sacrificia pro peccatis,“ quarta, quod debeat habere compassionem: „Qui condolere possit iis, qui ignorant et errant, quoniam et ipse circumdatus est infirmitate,“ quinta, quod debeat esse vocatus a Deo: „Nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur a Deo tamquam Aaron.“ Hae vero notae inveniuntur omnes simul in Christo. Invenitur in ipso humanitas: „Debuit per omnia fratribus similari“ (2, 17), relatio ad Deum: „Ut misericors fieret et fidelis pontifex ad Deum“ (ibid.), sacrificium pro peccatis: „Semetipsum obtulit immaculatum Deo“ (9, 14), compassio vel quod possit condolere iis, qui ignorant et errant: „Non habemus pontificem, qui non possit compati infirmitatibus nostris, tentatum autem per omnia pro similitudine absque peccato“ (4, 15). Divina vocatio: Introducitur Pater caelestis ad eum dicens cum psalmista: „Tu es sacerdos in aeternum secundum ordinem Melchisedech“ (5, 6). Ergo Christus est vere sacerdos et pontifex et quidem secundum ordinem Melchisedech.

Deinde explicatur, quare Christus dicatur sacerdos secundum ordinem Melchisedech. Ratio data ab auctore epistolae est

haec, quod Melchisedech sub multis relationibus fuerit typus Christi. Jam eius nomen, quod significat regem iustitiae et regem pacis, habet quandam relationem ad Christum; deinde haec circumstantia, quod notetur in scripturis, ut existens sine patre, sine matre, sine genealogia, neque initium vitae neque finem dierum habens, in fine vocetur assimilatus per omnia Filio Dei. Opponitur autem sacerdotium Melchisedechianum, quod Christus obtinet, sacerdotio Levitico. Melchisedech ante legem et ergo ante omnem Leviticum ordinem sacerdos fuit. Christus ex alia tribu quam ex tribu sacerdotali Levi ortus est: „Manifestum est enim, quod ex Juda ortus sit Dominus noster, de qua tribu nullus altari praesto fuit“ (7, 14), ergo eius sacerdotium est secundum alium ordinem.

Probatur deinde superioritas sacerdotii Melchisedechiani Christi super sacerdotium Leviticum: primo in quantum ipsa persona sacerdotis Novi Testamenti infinite altior sit personis sacerdotum Levitici generis. Jam ipse typus Christi Melchisedech, sacerdos Dei summi, superior erat sacerdotio Levitico, et hoc probatur primo ex hoc facto, quod Melchisedech decimas acceperit ab Abrahamo; qui autem decimas dat, minor est eo qui accipit. Si ergo Abraham minor fuit Melchisedecho, quamvis pater existens totius populi electi Dei, a fortiori Levi, qui est filius Abrahae, et eius filii sacerdotes Levitici minores sunt Melchisedecho. Per Abraham, ut ita dicam, et Levi decimatus est. Secundo ex hoc altero facto probatur, quod Melchisedech Abrahamo, qui habebat repromissionem, benedixit. Sine ulla autem contradictione ei qui minor est a maiore benedicitur, ex quo etiam superioritas super totum populum Iudaeorum ex Abrahamo provenientem resultat. Si ergo iam typus Christi fuit maior sacerdotio Levitico, quanto magis ipse antitypus Christus, cuius umbra tantum et typus erat Melchisedech, debet multum et infinite excedere hoc sacerdotium Veteris Testamenti. A fortiori elucet superioritas Christi ex sequenti comparatione, quam auctor epistolae instituit inter ipsam personam Christi et illos veteres sacerdotes. Illi sacerdotes facti sunt per carnalem generationem „secundum legem mandati carnalis; iste factus est secundum virtutem vitae insolubilis“ (7, 16). Illi sine iureiurando constituti sunt, Hic autem cum iureiurando: Et quidem „iuravit Dominus et non poenitebit eum: Tu es sacerdos in aeternum“ (7, 21). Illi erant homines mortales: „facti sunt sacerdotes idcirco, quod morte prohiberentur permanere“ (7, 23); Hic est immortalis: „Jesus autem eo quod maneat in aeternum sempiternum habet sacerdotium, unde et salvare in perpetuum potest“ (7, 24. 25). Illi erant homines infirmi, imperfecti, peccatores: „Lex enim homines constituit sacerdotes infirmitatem habentes“ (7, 28), qui necessitatem habebant, quotidie prius pro suis delictis hostias offerre,

deinde pro populi“ (7, 27). Hic est sanctus et omnis peccati expers: „Talis enim decebat, ut nobis esset pontifex, sanctus, innocens, impollutus, segregatus a peccatoribus et excelsior coelis factus“ (7, 26). „Sermo iurisiurandi, qui post legem est, constituit Filium in aeternum perfectum“ (7, 28). Ergo ipsa persona sacerdotis Novi Testamenti sub omni respectu maior est sacerdotibus legis.

Secundo auctor nostrae epistolae considerat excellentiam ministerii huius sacerdotis super ministerium veterum sacerdotum. Illi serviebant Veteri Testamento quod „nihil ad perfectum adduxit,“ quod abrogatum fuit propter suam imperfectionem. Hic tanto melius sortitus est ministerium, quanto et melioris testamenti mediator est, quod in melioribus repromissionibus sanctum est; illud promittebat bona temporalia et terrestria, hoc bona aeterna et coelestia. Illi serviebant tabernaculo terreno, manufacto, sub ritibus exterioribus et nihil efficientibus, solummodo in cibis et potibus et variis baptismatibus et iustitiis carnis usque ad tempus correctionis impositis“ (9, 9. 10), quae omnia fuerunt umbra solum et typus futurorum; hic autem est „sanctorum minister et tabernaculi veri, quod fixit Deus et non homo“ (8, 2.). Hoc tabernaculum est ipsum coelum.

Sed si sacerdotium Christi vere superius sacerdotio Levitico esse contenditur, Christus debet imprimis habere aliquod sacrificium, quod sit maius sacrificiis veteris legis. Consideratur ergo tertio in epistola nostra superioritas sacrificii Christi super sacrificia legalia. „Necesse est et hunc habere aliquid quod offerat, quia omnis sacerdos ad offerendum hostias et munera constituitur“ (8, 3). Sacrificium Christi excedit sacrificia legis primo quoad obiectum, quod sacrificatur. Illi scilicet sacerdotes Veteris Testamenti offerebant sanguinem hircorum et taurorum et cinerem vitulae aspersum et varia animalia, ergo res prorsus inutiles. Christus obtulit „per Spiritum sanctum semetipsum immaculatum Deo“ (9, 14). „Per proprium sanguinem introivit semel in sancta“ (9, 12). Sacrificium Christi, de quo epistola semper loquitur, est sacrificium crucis. Secundo sacrificium Christi longe excellit sacrificia legis per suam efficaciam. Illa vetera sacrificia non potuerunt efficere remissionem peccatorum: „Impossibile est enim sanguine hircorum et taurorum auferri peccata“ (10, 4), non potuerunt „iuxta conscientiam perfectum facere servientem“ (9, 9), potuerunt solum producere quandam Leviticam munditiam: „Inquinatos sanctificat ad emundationem carnis“ (9, 13). Christi sacrificium vere aufert et delet peccata et operatur aeternam redemptionem: „Emundabit conscientiam nostram ab operibus mortuis (9, 14). Introivit semel in sancta, aeterna redemptione inventa (9, 12). Una oblatione consummavit in sempiternum sanctificatos (10, 14). Consummatus factus est omnibus obtemperan-

tibus sibi causa salutis aeternae“ (5, 9). Sub omni respectu ergo quoad personam sacerdotis, quoad eius ministerium et quoad eius sacrificium sacerdotium Christi superius est sacerdotio Judaico. Auctor ergo epistolae optime probavit quod erat demonstrandum.

Sed scimus ex doctrina ecclesiae, quod Christus suum sacerdotium non solum per sacrificium crucis, sed etiam quotidie per sacrificium eucharisticum exercent. Num quid epistola ad Hebraeos hoc tremendum mysterium silentio praeterit an etiam illius mentionem facit? Fatendum est quidem hanc epistolam non clare et omnino apertis verbis sacrificium eucharisticum inculcare. Namque eius mentio non necessaria fuit pro scopo, quem sibi auctor epistolae proposuerat, obtinendo Apostolus vel auctor epistolae forsitan etiam specialem causam habuit, cur illud omiserit. Scopus eius argumentationis fuit, ut iam superius dictum est, Christianis in Judaea, qui multum alliciebantur ad Judaismum per pompam cultus in templo Hierosolymitano et per multitudinem sacrificiorum legalium, demonstrare superioritatem Christi aeterni sacerdotis. Lectores autem epistolae erant infirma fide, parvuli lacte indigentes et non solido cibo. Ergo debuit auctor inprimis inculcare his parvulis et infirmis animabus ea, quae maxime apta erant ad animos commovendos, ergo inprimis maiestatem et potentiam aeterni sacerdotis, sedentis ad dexteram Dei, deinde etiam sacrificium crucis, quod est aliquid cadens sub sensus humanos, quod etiam a rudibus et in fide male instructis intelligi potest. Sacrificium altaris autem in sua simplicitate, sine pompa, totum velatum sub speciebus alienis et quidem vilibus, nihil habens, quod sub sensus cadat, mysterium fidei, quod iam praesupponit fidem, non potest esse argumentum ad confirmandas animas debiles male instructas, seductas in fide et ideo illud potuit silentio praeteriri.

Sed videamus nunc, an non saltem implicite doctrina de sacrificio Christi eucharistico contineatur in nostra epistola. — Primo iam haec circumstantia, quam auctor epistolae maximi momenti facit, quod nempe Christus est sacerdos secundum ordinem Melchisedech, ducit nos necessario ad sacrificium eucharisticum et illud quodammodo in se includit. Nam si certum est, et nemo illud denegare potest, quod Melchisedech sacerdos sit typus Christi sacerdotis, tunc etiam Melchisedech quoad suum sacrificium debet esse typus sacrificii Christi, quia primus et principalis et necessarius actus sacerdotis et quidem ille actus, qui facit aliquem sacerdotem, est sacrificium. Sacrificium autem Melchisedechianum non esse adaequatum typum sacrificii crucis, nemo non videt. Unum est sacrificium, quod in cibo et potu consistit et ineventum, alterum sacrificium cruen-

tum; ergo maxima differentia inter haec duo existit. Nunc autem legimus in evangelio, quod Christus Dominus in ultima coena ante passionem suam panem et vinum protulerit et obtulerit eodem modo, quo legimus illud in Genesi a Melchisedech esse factum. Ergo sacrificium Melchisedechi est typus illius sacrificii, quod Dominus in ultima coena sua celebravit et discipulis suis celebrandum commisit dicens: „Hoc facite in meam commemorationem.“ Ergo in sacrificio eucharistico verificatur et impletur typus Melchisedechi, et in respectu ad hoc sacrificium Christus imprimis vocandus est sacerdos secundum ordinem Melchisedech. Hoc magis patebit, si etiam ad alia momenta typi Melchisedechiani respiciemus. Melchisedech est rex et sacerdos, sacerdos regalis. Atqui in ara crucis fuit Christus quidem adhuc rex, attamen suam regiam potestatem non tantopere exercuit, immo magis occultavit, fuit tempus infirmitatis et humilitatis eius. Nunc autem in coelo regnans et sedens ad dexteram Dei Christus plenissimo sensu est rex et nunc exercet suum regale sacerdotium per sacrificium eucharisticum. Ergo in altari nostro etiam magis adhuc, quam in ara crucis, Christus est rex et sacerdos secundum ordinem Melchisedech. Deinde Christus secundum ordinem Melchisedech vocatur sacerdos in aeternum. Atqui sacrificium crucis unico actu completum fuit et manet completum. Si ergo Christus non iam amplius per aliquod sacrificium suum sacerdotium exerceret, quomodo posset dici sacerdos in aeternum? In sacrificio altaris autem Christus quotidie sese offert usque in finem mundi. Ergo in sacrificio eucharistico verificatur, quod Christus sit sacerdos in aeternum. Ergo haec denominatio Christi ut sacerdotis secundum ordinem Melchisedech includit necessario sacrificium eucharisticum. Sed potest aliquis obiicere: Si haec ita sunt, quare auctor epistolae, qui tam ad amussim describit, quomodo et sub quibus respectibus Melchisedech sit typus Christi, quare tunc omisit principale momentum in hoc typo, scil. sacrificium Melchisedechi? Ad haec respondebimus, quod apostolus ex causa iam allata non voluit expresse sacrificium eucharisticum nominare, sed voluit solum ea in mentem vocare, quae facilius intellegi poterant ab his, qui imbecilles facti erant ad audiendum, et idcirco et praetermisit sacrificium Melchisedechi et solum ea momenta huius typi inculcavit, quae spectant imprimis ad sacrificium crucis.

Sed habemus etiam alium locum et quidem in capite octavo, qui nos ad sacrificium eucharisticum ducit, ubi apostolus satis clare docet, quod Christus, quamvis ad dexteram Patris sedens, adhuc suum sacerdotium exerceat et quod ibi adhuc necesse sit eum habere aliquid, quod offerat. Hic locus complures theologos, etiam inter catholicos, imprimis Thalsoferum, inducit ad statuendum aliquod coeleste sacrificium Christi praeter

eucharisticum in terra, quod Christus ad dexteram Patris sedens, ut minister coelestis tabernaculi quotidie offerat. Sed talis doctrina non est valde secundum mentem patrum et opinionem ecclesiae. Si vero illum locum intelligimus de sacrificio eucharistico, tota difficultas evanescit. Christus, quamvis ad dexteram Patris sedens, exercet adhuc suum sacerdotium et habet aliquid, quod offerat, scil. suum proprium corpus et sanguinem sub speciebus sacramentalibus. Ipse in coelo existens est verus consecrator huius sacrificii et principalis offerens. Ergo Christus in coelo regnans adhuc sacrificat usque in finem mundi. Sed tale coeleste sacrificium, ut Thalhofer illud vult, quod in coelo ipso perficiatur pro coelestibus, nullum locum habere potest. Sacrificium constitutum est ad nos uniendos Deo. Ubi ergo iam perfecta unio cum Deo existit, ibi sacrificium naturaliter cessat et debet cessare.

Tertium locum habemus, ubi apostolus expresse, quamvis obscuris verbis mentionem facit sacrificii eucharistici, cum dicit: „Habemus altare, de quo edere non habent potestatem, qui tabernaculo deserviunt“ (13, 10). Loquitur ibi auctor epistolae de variis falsis doctrinis et inprimis de doctrina hereticorum iudaizantium, qui fideles Christi inducere voluerunt ad faciendam aliquam distinctionem inter cibos licitos et illicitos et ad participationem in epulis sacrificialibus Iudaeorum. Contra hos dicit: „Optimum est gratia stabilire cor, non escis, quae non profuerunt ambulanti in eis“ (13, 9), et ut eos efficacius retrahat a participatione in cibis sacrificialibus Iudaeorum, demonstrat, quod etiam Christiani ipsi habeant cibum quandam sacrificalem, in quo participare Iudaeis non liceat, cum dicit verbis superius citatis: „Qui tabernaculo deserviunt;“ hi vero sunt certo certius ii, qui Iudaico ritui et religioni addicti erant. Quod autem sub hoc cibo intelligenda sit eucharistia, ferme certum est et conceditur a plerisque, etiam non catholicis. Quia autem eucharistia repraesentatur ut cibus sacrificialis et quidem in oppositione ad cibos sacrificales veteris legis, et quia locus vel mensa, de qua sumitur eucharistia, vocatur altare (θυσιαστήριον, 13, 10), idcirco eucharistia debet vere habere rationem sacrificii. Altare enim solum illa mensa vocari potest, in qua sacrificium offertur. Ubi autem non est sacrificium, ibi non est altare. Sed ut ratio exhibeatur, quare Iudaeis non liceat participare in sacra communione, apostolus affert exemplum typicum Veteris Testamenti, dicens: „Quorum enim animalium infertur sanguis in sancta per pontificem, horum corpora cremantur extra castra“ (13, 11). Demonstrat ergo, quod non licuerit Iudaeis carnes eorum animalium in sacrificium oblatores comedere, quorum sanguis in sanctuarium inferebatur, quia corpora eorum extra castra cremabantur. Probat deinde hunc typum adimpletum esse in Christo, cum dicit: „Propter quod et Jesus, ut sanctificaret

per suum sanguinem populum, extra portam passus est" (13, 12). Quia ergo Christus extra portam civitatis Jerusalem passus est, ergo extra castra Judaeorum, quia Judaei eum e sua civitate expulerunt, ideo Judaei non possunt, quamdiu in Iudaismo remanent, participare in manducatione carnis Christi. Ergo concludit apostolus, quod debeamus relinquere Iudaismum, si velimus huius cibi participes fieri: „Exeamus igitur ad eum extra castra, improprium eius portantes.

Sed obicietur nobis ultima difficultas: Si praeter sacrificium crucis adhuc aliud sacrificium Christi et quidem eucharisticum existit, quare tantopere inculcatur et tam repetito modo in epistola ad Hebraeos unum tantum esse sacrificium vel, ut ita dicam, unicitas sacrificii Christi: „Una oblatione consummavit in sempiternum sanctificatos" (10, 14). Hoc fecit semel se ipsum offerendo: „Christus semel oblatus est ad multorum exhaurienda peccata, sicut statutum est homini semel mori" (9, 28); quare opponitur sacrificium Christi ut unum et unicum multitudini sacrificiorum legalium, atque expresse negatur, quod praeter illud relinquatur alia hostia pro peccatis? Respondebimus ad hoc cum ecclesia Dei, quod sacrificium eucharisticum unum est cum sacrificio crucis et ideo nullo modo destruit aut impedit unicitatem sacrificii Christi, sed potius etiam eam magis confirmat. Sunt ambo unum et idem sacrificium, quia sacrificium altaris est semper imago et repraesentatio sacrificii crucis, et quia in altari quotidie renovatur illud opus semel in cruce peractum. Est idem sacrificium in primis, quia est ibi una et eadem numero victima, cum e contrario sacrificia Veteris Testamenti multa munero fuerunt, quia erant semper victimae numero differentes, et quia est ibi idem sacerdos qui in ara crucis. Respondebimus secundo, quod apostolus imprimis statuatur unicam oblationem Christi et neget alteram praeter eam, ut demonstret sacrificium crucis esse omnino sufficiens ad expiationem omnium peccatorum et ad plenam redemptionem mundi, et quod aliud sacrificium non sit necessarium ad illud complendum vel ad satisfaciendum pro peccatis. Ideo dicit, quodsi sacrificium crucis non sit omnino sufficiens ad redemptionem generis humani, quod tunc Christus debuit frequenter pati ab origine mundi. Sed nihil obstat, quominus per aliud sacrificium, quod est solum respectivum, fructus huius redemptionis semel et pro semper perfectae et completae et meritum eius applicentur animabus humanis, atque hoc est, quod ecclesia docet de sacrificio eucharistico. Nullo modo autem aliud institutum est ad complendum vel ad augendum meritum redemptionis humanae. Ergo doctrina epistolae ad Hebraeos, sed optime cum ea congruit et conciliatur. Brevi ergo compendio totam doctrinam de sacrificio Christi

comprehendimus his verbis: Est Christus summus sacerdos Dei secundum ordinem Melchisedech in aeternum, qui illud sacerdotium semel exercuit in ara crucis pro redemptione totius mundi, qui illud quotidie exercet in terris per sacrificium eucharisticum commemoratione et renovatione sacrificii crucis, qui illud etiam in coelo exercet, non quidem verum coeleste sacrificium offerens, sed ibi in coelo continuo pro nobis intercedens et Patri aeterno sua quinque vulnera et meritum suae passionis repraesentans semper vivens ad interpellandum pro nobis“ (7, 25). Talem habemus pontificem. Ergo possumus concludere cum apostolo (4, 16), quod debemus cum fiducia accedere ad thronum gratiae, ut misericordiam consequamur et gratiam inveniamus in auxilio opportuno.

## Die beiden Genealogien des Heilandes.

Von Dr. Josef Krejčnicka, Religionsprofessor in Horn (N.-De.).

Qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt. Et verbum caro factum est.  
Joann. 1, 13. 14.

Die heiligen Matthäus und Lukas haben in ihren Evangelien Stammbäume<sup>1)</sup> des Messias angeführt. Wenn wir dieselben vergleichen, zeigen sich uns auf den ersten Blick Verschiedenheiten und Abweichungen, die völlig staunen machen.

Es sind Reihen von Namen, nur selten unterbrochen durch eine Bemerkung oder einen Zusatz, die in diesen Genealogien sich uns darbieten. Wie ein dürres Beingerippe scheint alles dazuliegen, und der betrachtende Geist glaubt anfangs nur einfach historische Facten aufgezeichnet zu sehen. Er möge aber weiter sinnen, tiefer sich hineinversenken in diese Namenlisten. Wie das Leichenfeld in der Vision Ezechiels vom Leben durchschauert wird — „Gebein näherte

<sup>1)</sup> P. Schanz, Commentar über das Evangelium des heiligen Matthäus. Freiburg 1879, desselben Commentar über das Evangelium des heiligen Lukas, Tübingen 1883.

Grimm, Leben Jesu, 1. u. 2. Bd. Regensburg 1890 resp. 1893. — Dieses herrliche Werk wurde in der vorliegenden Arbeit besonders benützt.

Knaabenbauer, Commentarius in Evang. sec. Matth. (Parisiis 1892). Böhl, Kurzgefaßte Commentare zu den Evangelien des hl. Matthäus (Graz 1880) und des hl. Lukas (Graz 1887).

Hillenbrand-Deimbach, „Die Kindheit Jesu“, Paderborn 1898.

Knaping, Erklärung des Evang. nach Matth., Münster 1864.

Kistemaker, die heiligen Evangelien übersetzt und erklärt. Grätz 1826.

Allioli, die hl. Schrift.

Sep p, Leben Jesu.

Joannis Maldonati Commentarii in IV Evangelistas, ed. Raich Moguntiae 1874.